





14273

28

Q. D. B. V. 1671/13

32

THESES JURIDICÆ  
De  
CONFESSIO NE  
LEGITIMA,

Qvas  
Permissu

Nobilissimi Jctorum Ordinis in In-  
clyta Lipsiensium Academia

SUB PRÆSIDIO

Viri admodum Reverendi, Nobilissimi atqve  
Excellentissimi

DN. BARTHOLOMÆI LEONHARDI  
SCHWENDENDÖRFFERI,

Jcti atqve Codicis Professoris celebratissimi, Canonici  
Ecclesie Cathedralis Martisburgensis gravissimi, Curie su-  
preme & Facultatis Juridice Assessoris  
spectatissimi,

publicè defendet,

In Collegio Jctorum Petrino

CHRISTIANUS Hartmann/Dresd.

D. XVIII. Augusti, Anno M DC LXXI,  
A. & R.

LIPSIÆ

Literis JOHANNIS GEORGI.



PATRIÆ PATRES AMPLISSIMI,

V I R I

Præclara Nobilitate Illustres, excellente Sapientiâ Conspicui, gravissima Juris dicend' Autoritate Insignes, usuq; rerum ac meritum in Rempublicam collatorum famâ

Celebratissimi

COLLEGII SENATORII

DRESDENSIS,

Atlantes, Directores & Assessores Splendidissimi, &c.

DOMINI MECOENATES

Colendi humiliter

suspiciendi iugiter.


**V**erecundantis ac trepidantis more ad Limina Vestra Magnifica diu curabam, & recedere jam destinaveram, nisi Indulgentia Vestra fiduciâ in spem admissionis rediissem. Postquam scilicet in sacra Themidos scholâ Triennium, & quod excurrit sub Doctoribus haud pœnitendis in Academiâ Lipsiensi tempus juventutis impendi, ad discipulorum, qui Pythagoram audierunt, consuetudinem attentus hactenus silui, nunc ruptâ istâ exevordia de argumento, quod Juris Cultorem decet, loqui sustineo. Non eâ quidem confidentiâ, quod me ostentarem, novi enim, quam in me tenuia sint omnia, verum ut aliquali specimine ostenderem, me temporis observantissimum Vacua minimè litasse. Magnis autem Vestris Nominibus, **VIRI NOBILISSIMI, PATRONI MAXIMI**, hoc ipsum inscribo, non ut Negotia Vestra, Bono Publico destinata interurbarem, Vestramq; mentem altioribus intentum ad hæc vilia legenda vocarem, quippe per hoc importunè audax essem, sed ut Vobis, **PATRIÆ PATRES**, studia mea qualia qualia humillimè commendarem. Patiemi, (ita submissè oro & exoro) aliquid istius affectus, quem probis Vestraque ditionis subiectis soletis alere, in foetum hunc informem ejusq; parentem derivari. Ita abjecta elevabitis studia mea, in herbâ marcorem minitantiã refrigerabitis, & in Vestra facilitate mihi ignoscetis, **DEUS VOS** Patria, Vobis, Bonis omnibus, atq; ad eò etiam mihi incolumes diu florentesq; perennare sinat! id quod vovet

Vestr. Vestr. Vestr.

Magn. Nominum

devotè obstrictus Cultor

**CHRISTIANUS Hartmann.**



DISQUISITIONIS  
DE  
CONFESSIONE  
LEGITIMA.

Thef. I.



Um juxta doctrinam Logicorum omnia homonyma, antequam vel definitione definiri, vel divisione dividi possint, distingvenda sint, ut sciri possit id. de quo disputatur, merito propositum thema ante omnia ab omni ambiguitate liberandum.

Th. II.

Dicitur ergo confessio Germanicè Ein Bekänntnis / eine Bejahung / ein Geständniß / & sumitur duobus potissimùm modis (1.) quidem κατὰ νόμον CIVILITER, pro confessione legitima, quia ennoematicè definiendo nihil aliud est quam spontanea de re citra interrogationem à reo bonam fidem agnoscente in judicio facta, contra se pronuntiatio. In Collegio Argentoratensi h. t. th. 3. quæ sumtio est huius loci. (2.) Et κατὰ ὑπερὸν etiam CRIMINALITER, pro confessione extorta, ut & extrajudiciali nec non tacita, quæ tacens in judicio ad illa quæ contra se dicuntur pro confitente habetur. Vid. Menoch. lib. 5. presumpt. 46. (3.) Confessionis species

A 2

species

Species à Canonistis Sacramentalis dicta, quam facit  
confitens de peccatis suis suo confessionario,  
*c. omnis utriusq; sexus extr. de pœnitent. & remiss.* non est hu-  
jus fori.

Th. III.

Quo circa priorem illam indagaturi, ejus essentiam ex qua-  
tuor causis, nimirum formali, materiali, efficiente & finali inquiri-  
turi sumus, ad eruendam præsentis thematis definitionem ana-  
lyticam.

Th. IV.

CAUSA FORMALIS confessionis legitimæ in quatuor  
maxime consistit requisitis, nempe (1.) requiritur, ut confessio  
fiat spontè & liberè absque metu, concussione & tormen-  
tis. *Vid. Wesenb. in parat. n. 5. h.* aliàs enim esset confessio extorta  
seu extrajudicialis, hinc confessio sub spe impunitatis promissæ  
à judice non sufficit ad condemnandum, nisi expressè esset rati-  
ficata & non revocata à confitente. *Farin. d. delict. quest. 81. n. 276.*  
*& seqq. 287. & seqq.* Nec valet illa quæ facta est voluntate & con-  
sensu libero carente, qualis est quæ fit post minas detorquendo,  
vel in tortura, vel statim post eam, aut in ligatura aut in carce-  
re. *Mascard. conclus. 346. & 350. num. 20. & conclus. 353. n. 13.* (2.)  
Ut sit confessio facta de re certa, non ambigua,  
quia incertum confessus pro judicato non habetur. *per trad. Ulp.*  
*in l. certum 6. pr. ff. h.* & confessio quæ non est perspicua & cer-  
ta, sed dubia aut obscure pro non factâ habetur *Surd. decis. 291.*  
*num. 25.* Unde dicimus talem confessionem dubiam incertam,  
tacitam vel implicitam non probare, de re possibili  
& probabili verificata in circumstantiis & qualitatibus, præser-  
tim substantialibus non generaliter sed specificè, nam confessio  
de re natura suâ impossibili, vel non extante, aut non verisimili  
nihil probat *Mascard. conclus. 354.* nec quando fit de causa, cu-  
jus veritas aliundè pendet, non à voluntate & factio confiten-  
tis. *Farinac. d. delict. quest. 81. num. 63.* Hinc confessio pro parte  
falsa, in totum præsumitur falsa, *Farin. quest. 81. n. 22. d. delict. c. 1.*

Tertium

Tertium requisitum confessionis legitimæ est ut fiat in iudicio coram iudice competente. *l. un. C. h. t. l. interrogatum 24. C. d. liberali causa.* Quia confessio coram incompetente facta tantum habetur pro extrajudiciali, & cum confessionis legalis non habet, adeoq; plenè non probat. *Vid. Wesenb. in parat. num. 5. h. Jason in l. magistratus 69. num. 3. & 4. d. jurisd.* Hinc clericus coram seculari iudice confessus non habetur pro iudicato, nec ex illa confessione condemnatur. *c. 4. extr. d. judic.* Idem est si Studiosus ad Magistratum oppidanum citatus aliquid coram ipso confiteatur. *Perez. h. t. C. num. 6.* Quartum denique confessionis legitimæ requisitum est, ut fiat præsentè adversario. *Ulpian. in d. l. 6. §. 3. ff. h. t.* Sive hoc fiat per nuntium sive per procuratorem ad hoc specialiter instructum, sive per epistolam, nihil enim interest, vel si ejus adsit advocatus, negotiorum gestor, Curator, tutor, nuntius, procurator, ad hoc instructus, ex generali ratione quod hi homines quicquid acquirant, non ipsis, sed dominis & principalibus eorum lucro cedat. *Mascard. d. probat. conclus. 347. num. 5.* Illud adhuc controversum est, an confessio procuratoris in præjudicium domini cedere possit, & distingvendum, num procurator ad hoc speciali mandato instructus, an non? priori casu dicitur quod sic. *l. 20. inf. pr. ff. d. interrog. l. 5. & f. C. de error. advoc.* Quod etiam procedit, si procurator præsentè & non contradicente domino in iure confiteatur. *arg. l. 6. & 18. ff. mand. d. l. 1. & f.* Posteriori casu iterum respiciendum num per magistratum ad confessionem compulsus fuerit, & æquè nocet. *arg. c. fin. extr. h. t. & l. 39. pr. ff. d. proc. An v. sponte hoc faciat, & domino exinde nullum emergat præjudicium. l. 6. §. 4. ff. h. t.*

Th. V.

CAUSA MATERIALIS in quâ s. subjectum v. p. d. p. est persona quæcunque habilis, modò legitimæ sit ætatis, & facti in quo versatur debitam habeat cognitionem, de iure non specialiter excepta, tam masculus, quam fœmina. Nimirum major annis per trad. *Ulpian. in l. certum 6. 25. §. 5. ff. h. t.* modò sit dominus causæ, non procurator, cujus confessio non sufficit.

A 3

Ulpian.

*Ulpian. d. l. 6. §. sed an. 4. ff. h. t. nec absenti Domino præjudi-  
cat. per l. perinde 25. §. 1. ff. ad L. Aquil. adeo ut excludatur*

(1.) PUPILLUS infra 14. ætatis annum constitutus, quia e-  
jusmodi ætas, quicquid videt ignorat. *l. 1. C. d. fals. monet. tamen  
cum autoritate tutoris validè potest. l. 6. §. 5. ff. d. Confess. quo  
facit t. t. ff. d. autorit. Tut. & Curat. Eadem autem quoque assertio  
hic procedit circa confessionem tutoris seu curatoris, quæ supra  
Thes. IV. Pupillo enim neque minimum affert præjudicium, si  
facta sit sponte, ipso haud mandante aut postea ratificant. arg.  
l. 1. C. d. error. advoc.*

(2.) MINOR 25. ANNIS, qui restitui potest *d. l. 6.  
§. 5. nisi curatorem habeat, cum eo deficiente non habeat perso-  
nam standi in judicio. l. 2. C. qui legit. person. stand. nisi 17. annos  
adimpleverit. l. 1. §. 3. ff. de postul. §. 5. §. quib. ex caus. manum.  
Sunt tamen nonnulli casus, in quibus etiam standi habent licen-  
tiam, v. g. in matrimonialibus, & quæ ab his dependent, & de tali  
casu intelligenda erit l. 6. §. 5. ff. h. t.*

(3.) FURIOSUS, qui infanti *l. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil.  
& cum mentis lumine careat, ignorantia æquiparatur l. 17. §. 11.  
ff. d. injur. l. 2. §. 4. ff. d. jur. Codic.*

(4.) MENTE CAPTUS, licet enim differat à furioso,  
cum ille propriè furiosus dicatur, qui est cum rabie evidentis fu-  
roris, mente verò captus, cui mens & consilium animi deest. *Bald.  
in l. si furiosi 25. C. de Nupt. tamen cum in hoc rectè furioso æ-  
quiparari possit, ideoque valide eum confiteri posse omnino ne-  
gatur.*

(5.) PRODIGUS, sc. in causis administratione bono-  
rum suorum concernentibus. *per l. 6. ff. de V. O. l. 19. ff. de Con-  
dict. indeb.*

(6.) IRATUS, qui cum furioso æquiparatur, si nempe  
iracundia talis sit, quæ mentis alienationem inducit *per c. dudum  
20. extr. de Conver. Conjug.*

(7.) EBRIUS, quia nescit quid loquitur, adeoque igno-  
rans, & intelligentia carere dicitur *per c. 7. §. 15. q. 1.*

(8.) ERRANS, quia non fateri videtur qui errat, scilicet  
in facto *l. 2. ff. h. t.*

Thes.



Th. VI.

MATERIALIS CIRCA QVAM, omnis res litigiosa probanda, quatenus non adversatur juri vel naturæ, *Vid. Wesenb. n. 3. h. l. ult. de pact. l. confessionibus 14. ff. d. interrogat. act.*

Th. VII.

CAUSA EFFICIENS, L. XII. Tab. illa æris confessi, rebusque jure judicatis *per trad. Cujac. in parat. h. Gellii l. 5. c. 13. & l. 20. c. 1.*

Th. VIII.

CAUSA FINALIS INTERNA, ut lites evitentur, quas sustine re cogereetur confiteri recusans. *Vid. Colleg. Argent. th. 3. in f. h. t. quas hoc modo evitat reus bonam fidem agnoscens. d. Colleg. th. 4. h. t.*

Th. IX.

CAUSA FINALIS EXTERNA, ut veritas sine longioribus ambagibus eruatur. *c. t. ubi Gloss. & DD. de Confess. in 6. per trad. Wesenb. n. 7. h.*

Th. X.

Ex quibus præmissis acroamatica sive analytica definitio ultro resultat hoc modo: Confessio legitima est judicialis contra se pronuntiatio (a) spontanea (b) & certa (c.) personarum habilium (d) de re qualibet litigiosa (e.) naturæ vel juri non adversante [f] in præsentia adversarii [o.] coram competente [h.] probanda, evitandæ litis [i] & veritatis promovendæ gratia [k] Lege XII. Tab. [l.] probata.

(a.) Definiti genus, pronuntiatio judicialis *per trad. J. Cris. Pauli l. 1. ff. h. t. Quintilian. declam. 314.* Simul connotativum partis formæ, in voce judicialis, quâ discriminatur à Confessione extrajudiciali. *l. un. C. h. t.*

(b.) Altera pars formæ, ut fiat spontè & liberè *per trad. sup. in th. IV. h.* (c.)

- (c.) Tertia pars formæ, ut sit pronunciatio certa, *vid. th. 4. num. 2. h.*
- (d.) Ad exprimendam materialem in quâ, *juxta th. 5. h.*
- (e.) Materialis circa quam sive objectum, res quælibet litigiosæ *secundum th. 6. h.*
- (f.) Formale objecti, quatenus non adversatur juri vel naturæ *d. th. 6. sup.*
- (g.) Quarta pars formæ. *th. 4. n. 4. sup.*
- (h.) Ad exprimendam reliquam formæ particulam, ut nimirum confessio fiat non solum in judicio *supr. th. 4. h.* sed etiam coram iudice competente. *eid. th. 4. n. 3. h.*
- (i.) Ad finem internum denotandum *th. 8. h.*
- (k.) Quo exprimitur definiti finis externus *per thes. 9. supra.*
- (l.) *Vide supra th. 7.*

Tantum de definitione: sequitur definiti divisio  
sive potius distinctio.

Th. XI.

Secundum hanc, confessio analogicè dividitur in JUDICIALEM (quæ fit in judicio coram iudice suo, sedente pro tribunali, in causis civilibus cognitionem requiruntibus. *l. 4. §. 11. ff. d. interrogat. in jure fac.* qualis habet vim sententiæ, probationem liquidissimam faciens, omnem præsumptionem iuris & de jure tollens. *per trad. Mascard. d. probat. conclus. 348. n. 39. 40.*) & EXTRAJUDICIALEM quæ fit extrajudicium. *d. auth. concl. 346. l. 40. ff. de pact.*

Th. XII.

Illa iterum esse LIBERA (quæ fit absq; metu & tormentis, superius definita, quæ iterum subdividitur in TACITAM, quæ tacens in judicio ad illa, quæ contra se ab adversario dicuntur pro confitente habetur *juxta vulg. reg. Juris: Qui tacet &c.* & EXPRESSAM quæ fit expressis & claris verbis. *l. 1. C. d. Confess. vid. Bachov. in not. ad Wesenb. num. 5. ff. h. t.*

VEL

VEL EXTORTA seu Criminalis, quæ fit quæstione seu tormentis ob præcedentia indicia legitima à reo non refutata, quando veritas aliter haberi non potest, in causis criminalibus & capitalibus *per trad. Farinac. lib. 1. de tortur. quæst. 37. num. 1. 2. Vid. Althus. lib. III. cap. XXXIX. circa f. n. 1. quænam verò sint indicia legitima & ad torturam sufficientia vid. apud eund. d. c. per tot.*

Th. XIII.

Hæc vel PRÆJUDICIALIS CONFITENTI, veluti confessio de recepto, etiam quantitatis incertæ, & sine causa facta, quæ saltem quoad confitentes probat, non quoad tertium. *Mascard. de probat. conclus. 361.* Nec non confessio creditoris de solutione sibi facta. *Mascard. d. l. conclus. 373.* VEL PRÆJUDICIALIS ALTERI, veluti confessio Curatoris, Tutoris, Administratoris de recepto, in præjudicium pupilli, adulti, & ea quæ fit præsentem principalem, aut eodem absente sciente & permittente *Mascard. d. l. conclus. 370.* Tantum de Confessione Legitimâ quoad suam essentiam & naturam ex præmissa definitione & distinctione scibilem.

Th. XIV.

Sequitur Confessionis EFFECTUS, qui in genere est, quod omnis confessio confitenti præjudicet, quia confessus in jure habetur pro judicato, utpote suâ quodammodo sententiâ damnatus *l. 1. l. 1. 6. ff. h. t. ita ut in talem confessum nullæ sint aliæ judicis partes, quam condemnatio ipsaq; executio, per trad. Coleri de proc. exec. p. 2. c. 2. num. 26.*

Th. XV.

IVD AFFINA CONFSSIONIS sunt omnes cuiuscunq; generis probationes. *Vvesenb. h.* Contraria Vis, metus, error, dolus, absentia, ambiguitas & similia *Vid. Vvesenb. h.* quæ partim supra adduxi, prolixius hanc materiam explicare mihi haud mens est, non inficiens, multa quidem in hac profunda & fertilissima materia adhuc desideranda, sed cuncta hic apponere nec charta nec tempus permetteret. Non enim dicam hanc materiam requirere integrum tractatum, sed ingens volumen. Unicè autem quod à te B. & C. Lector flagito & peramanter rogò hoc est quod si in uno vel al-

B

tero

tero loco (de quo non dubito) impegissim, erratis hisce veniam dare, simulq; mendas benevolentia suâ corrigere velit, quod & facile me impetraturum spero. Vale. Deo verò O. M. sit semper laus atq; gloria.

Seqvuntur quædam

## COROLLARIA.

I.

Physiognomia mala est indicium sufficiens ad torturam.

2.

Qv. An sangvinem si effundat cada ver hominis occisi in præsentia ejus qui de homicidio perpetrato suspectus est, indicium sit sufficiens ad torturam? Neg. 3. Ul-

3.

Ultra tres vices nemo tor-  
quendus.

4.

Cadavera homicidarū Me-  
dicis ad sectionem seu a-  
natomiam rectè conce-  
duntur.

---

**Q**uam studiis, HARTMANNE, tuis incumbere  
gnavus  
Svetus, probat CONFESSIO præsens tua.  
Perge ita. Pro meritis contra Themis ipsa, FA-  
TETUR  
Se reddituram purpuram, me iudice.

PRÆSIDE:

B 2

HART-

HARTMANNE, nunc DU-  
RUM VIRUM

Ostendito Te publicè!

QVI DURUS est, non frangitur:

VIR quisquis est, non cesserit

Objectionum spiculis.

CONFESIONES disputas?

Fac insimul sic disputes,

Cathedralis ut CONFESSIO

Solertiam arguat Tuam.

In casibus talis modi

(nōsti meum *πρωταρχικόν*)

Est Propria CONFESSIO

Satis efficax & PROBATIO.

Ita Suum antehac Auditorem gratulanti  
stylo instigabat

Fr. Geisler/Silesius, Phil. & J. U. D.  
ac Prof. Publ.

**I**N studiis nullum Te, HARTMAN, fugisse laborem,  
His motus thesibus qui fateatur, adest.  
Perfer & obdura, labor hic Tibi proderit olim!  
Jam si victor abis, gloria Te maneat!

Paucula hæc boni ominis causa apponere  
voluit - debuit

Johann. Henr. Melich, Jur. Cand.

---

**D**Um diæ referas Themidos  
penetralia, viresq̃  
Ingenii claræ tentas exponere  
luci;

Astrææ visis cum laude HART-  
MANNE Cathedram.

Scande bonis avibus, Themidi  
sic perge litare;

Audentem fortuna juvat Clioq̃  
rependet,

Augu-

12.  
Auguror haud vanus, sudanti  
digna brabea.

Politissimo Dn. Hartmanno festinante quidem  
manu amicissima tamen mente  
gratulab.


M. Johannes Dornfeld.

---

Ad Politissimum Dn. Respondentem,

**E**Gregium specimen, Musarum castra secutus  
A teneris, scandens multâ cum laude cathedram,  
Jam publicè præbes, præclaris gratulor ausis,  
Quotidiè crescant profectus, servet Jova  
Te saluum multos annos, servetq; Parentes,  
Det promotores, vivas benedictus ubiq;.

I. D. S.









X 2615905

lam







273

Q. D. B. V. 1671/13

32

THESES JURIDICÆ  
De  
CONFESSIO NE  
LEGITIMA,

Quas  
Permissu

Nobilissimi Jctorum Ordinis in In-  
clyta Lipsiensium Academia

SUB PRÆSIDIO

Viri admodum Reverendi, Nobilissimi atque  
Excellentissimi

DN. BARTHOLOMÆI LEONHARDI  
SCHWENDENDORFFERI,

Jcti atque Codicis Professoris celebratissimi, Canonici  
Ecclesie Cathedralis Martisburgensis gravissimi, Curie su-  
preme & Facultatis Juridice Assessoris  
spectatissimi,

publicè defendet,

In Collegio Jctorum Petrino

CHRISTIANUS Hartmann/Dresd.

D. XVIII. Augusti, Anno M DC LXXI,  
A. & R.

LIPSIÆ

Literis JOHANNIS GEORGI.

